

9. Nam promissio non prodest nisi fiat applicatio, Hebr. IV. 2. Applicatio autem & regeneratio non fit carnali generatione, Joh. I. & VIII. Rom. V. 18. Sed baptismus est ordinarium medium, hoc est, lavacrum regenerationis, Joh. III. 5. Act. II. 38. Eph. VI. 26. Tit. III. 5. 1. Pet. III. 21.

10. Qvam Sacramentariorum opinionem jam pridem in Pelagianis damnavit S. Augustin. L. 2. de Bapt. parvul. c. 35. 28. ex I. Cor VII. 14. &c.

11. Nequaquam concedendum est, infantes, qui baptizati sunt, vel sine fide esse, vel aliena fide baptizatos esse.

12. Non possunt igitur, neque debent, baptizati infantes inter infideles rejici, sed recte annumerantur fidelibus.

13. Erroneum est, quod disputant Sacramentarii; Baptismum tantum esse externam commonefactionem & testimonium ejus, quod DEUS vel ante vel extra, vel sine baptismo interiorius operetur.

14. Recte enim dicitur in Catechesi D. Lutheri, *quod Baptismus operetur remissionem peccatorum, liberet à morte & potestate Satanae, ac donet aeternam beatitudinem credentibus*: Cum hæc beneficia Christi propria sint.

15. Nam virtus, operatio, & efficacia Baptismi est ipsius DEI, qui talia non immediatè, sed per lavacrum aquæ, in verbo operatur, donat & efficit.

16. *Utrumque igitur recte & vere dicitur: DEUS nos salvos facit per baptismum*, Tit. III. 5. *Et baptismus nos salvat*, 1. Pet. III. 21.

17. Substantia baptismi consistit in aqua & in illa actione, & in illis verbis: Baptizo Te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.

18. Exorcismus libere omittitur, & libere potest usurpari: modo absit opinio cultus & necessitatis.

19. Non igitur debent damnari Ecclesiæ propter Exorcismum, sive omissum sive usurpatum.

20. In Vet. T. Baptismus non fuit Sacramentum proprie sic dictum. \*

## DISPUTATIO XXII.

### *De Sacra Domini Cæna.*

1. Sacramentarii licet diversum prorsus à nobis sentiant, id tamen agunt, ut idem nobiscum loqui videantur. 2. Qui